



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 46. Lanoy liber de vera traditione a Papa proscriptus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII.  
A.C. 1704.

§. XLVI.

*Launoy liber a summo Pontifice  
proscriptus.*

*Argentre*  
*t. c. p. 444.*

Excudi fecerat Leodiensibus literis  
Joannes Launoyus Sorbonæ Doctor  
jam multis abhinc annis librum ita  
inscriptum: *Vera traditio Ecclesiæ de  
Prædestinatione & gratia:* Hunc libel-  
lum post maturum examen Romani In-  
quisidores tanquam impium & blas-  
phemum, ac S. Augustino injurium  
notabant, quapropter Clemens XI.  
Pontifex eundem die vigesima Januarii  
proscripsit, edito hoc decreto: „Cum  
„sicut nobis innotuit, in lucem pro-  
„dierit quidam libellus, cui titulus:  
„*Vera traditio &c.* Nuperrime vero  
„Venerabiles Fratres nostri S. R. E.  
„Cardinales in tota Republica Chri-  
„stiana contra hæreticam pravitatem  
„Generales Inquisidores a Sede Apo-  
„stolica specialiter deputati, audita li-  
„belli ejusmodi censura, illum ad mi-  
„nus tanquam impium, blasphemum,  
„necnon fulgidissimo Ecclesiæ Catho-  
„licæ lumini maximoque Doctori S. Au-  
„gustino, quinimo ipsimet Ecclesiæ  
„atque Apostolicæ Sedi injuriosum  
„damnandum, & prohibendum effe-  
„censuerint: hinc est, quod Nos pro-  
„com-

„commissa nobis divinitus gregis Do- Sæc. XVII.  
„minici cura, animarum periculis, at- A. C. 1704.  
„que detrimentis, quæ ex præfati li-  
„belli lectione & usu provenire possent,  
„Pastorali sollicitudine, quantum in  
„Domino possumus, occurrere cupien-  
„tes, necnon Romanorum Pontificum  
„Prædecessorum nostrorum, qui ejus-  
„dem sancti Doctoris præcelsam Do-  
„ctrinam magno semper in pretio ha-  
„buerunt, totoque mentis affectu am-  
„plexi fuerunt, laudabilibus vestigiis  
„firmiter inhærente volentes, de me-  
„moratorum Cardinalium Consilio li-  
„bellum prædictum Authoritate Apo-  
„stolica tenore præsentium damnamus,  
„& reprobamus, ac legi, seu retineri  
„prohibemus, ipsiusque libelli impref-  
„sionem, descriptionem, lectionem,  
„retentionem & usum omnibus & fin-  
„gulis Christi fidelibus, etiam specifica  
„& individua mentione, & expressione  
„dignis sub poena excommunicationis  
„per contrafacientes ipso facto absque  
„alia declaratione incurrenda, a qua  
„nemo a quoquam, præterquam a nobis,  
„seu Romano Pontifice pro tempore  
„existente, nisi in mortis articulo con-  
„stitutus absolutionis beneficium obti-  
„nere valeat, omnino interdicimus.  
„Volentes, & Authoritate præsata  
„mandantes, ut quicunque libellum hu-  
L 2                    „jusmo-

Sæc. XVII., jusmodi penes se habuerint, illum  
A.C. 1704., statim, atque præsentes literæ inno-  
tuerint, locorum ordinariis, vel hæ-  
reticæ pravitatis Inquisitoribus tra-  
dere, atque consignare teneantur.  
Hi vero exemplaria sibi sic tradita il-  
lico flammis aboleri current: in con-  
trarium facientibus non obstantibus  
quibuscumque. Ut autem eædem  
præsentes literæ ad omnium notitiam  
facilius perducantur, nec quisquam  
illarum ignorantiam allegare possit,  
volumus, & authoritate dicta decer-  
nimus, illas ad valvas Basilicæ Prin-  
cipis Apostolorum, ac Cancellarie  
Apostolicæ, necnon Curiæ generalis  
in monte citatorio, & in acie campi  
Floræ de urbe per aliquem ex curio-  
ribus nostris, ut moris est, publicari  
illarumque exempla ibidem affixa re-  
linqui, sic vero publicatas, omnes,  
ac singulos, quos concernunt, perinde  
afficere, ac si unicuique illorum per-  
sonaliter notificatæ, & intimatæ fu-  
sent. Ipsarum autem præsentium  
literarum transumptis, seu exemplis  
etiam impressis manu alicujus Notarii  
publici subscriptis, & sigillo persone  
in Ecclesiastica dignitate constituta-  
munitis, eandem prorsus fidem, tam  
in judicio, quam extra illud, ubique  
locorum haberi, quæ haberetur ei-  
dem

,,dem præsentibus, si exhibitæ forent, Sæc. XVII.  
,,vel ostensæ., A. C. 1704.

## §. XLVII.

*Leopoldi Josephi Lotharingiæ Du-  
cis edictum contra Ecclesiasticos.*

Haud levis hoc anno erat contentio Bull. magna  
summi Pontificis cum Leopoldo Clem. XI.  
Josepho Lotharingiæ Duce, qui anno Const. 17.  
hujus saeculi primo Codicem seu sta- Epistol.  
tuta & decreta Nancæi edidit, quibus Ejusd. pag.  
161. & seqq.  
etiam Ecclesiasticos comprehendi, iis  
obstringi, eorumque causas profanis  
Tribunalibus subjici voluit: Fremebant  
in omnibus Lotharingiæ & Barri ur-  
bibus & pagis Episcopi, Clerici & Mo-  
nachi, plena erant omnia gravissimis  
querelis; quin Ducis, ejusque Ministerio-  
rum animus flecti posset: Igitur Præ-  
fules, cum summum Pontificem longe  
acerrimum læse immunitatis vindicem  
esse nossent, ejus opem implorarunt.  
Nec eorum precibus deerat Clemens,  
qui Ducem rogare, monere, imo &  
minari non destitit; incassum tamen  
omnia, quo circa anno hujus saeculi  
tertio die vigesima secunda Septembris  
Ludovici Codicem seu Constitutiones  
damnavit, easque observari, legi, vel  
retineri inhibuit, suumque Apostoli-  
cum decretum mox executioni dari

L 3

præ-